

Notulae systematicae, diagnosticae et nomenclatoricae ad *Aconitum* generis investigationem pertinentes

Systematické, diagnostické a nomenklatorické poznámky ke studiu rodu *Aconitum*

Vladimír Skalický

SKALICKÝ V. (1982): Notulae systematicae, diagnosticae et nomenclatoricae ad *Aconitum* generis investigationem pertinentes. [Systematic, diagnostic and nomenclatorial remarks on studies of the genus *Aconitum*]. — Preslia, Praha, 54 : 115—122.

This paper contains: The Latin diagnosis of the new West-Carpathian subspecies *Aconitum firmum* (REICHENB.) NEILR. subsp. *moravicum* SKALICKÝ. Taxonomic analysis of Linnean conception of *Aconitum napellus* L. with a new typification and emendation for use in the restricted sense. Notes on taxa of infraspecific level of *A. callibotryon* REICHENB. and *A. variegatum* L. with some new combinations. A key for identification of all Czechoslovak species and subspecies of the genus.

Department of Cryptogamic Botany, Faculty of Science, Charles University, Benátská 2, 128 01 Praha 2, Czechoslovakia.

A. DEFINITIONES CATEGORIARUM TAXONOMICARUM IN HOC OPUSCULO APPLICATARUM

1. Variationes populationis:

- a) subspecies — proles (Rasse, race) bene characteribus morphologicis vel oecologicis (s. l.) distincta zona transitoria cum prolibus affinibus conjuncta.
- b) varietas — proles geographica vel oecologica characteribus quantitative morphologicis minute distincta vel proles bene distincta sed cum plurimis morphotypis transitoriis conjuncta, event. proles localis (natio).

2. Variationes individui genotypicae:

- c) forma — variatio sine area geographica vel oecologica, saepe polytopice oriens.

B. SUBSPECIES NOVA *ACONITI FIRMI*

Aconitum firmum (REICHENB.) NEILR. subsp. ***moravicum*** SKALICKÝ subsp. nova

Syn.: *A. napellus* L. subsp. *firmum* (REICHENB.) GÁYER var. *carpathicum* MALOCH Sborn. Mus. Slov. Spoloč., Turč. Sv. Martin, 26 : 124, 1932; non *A. napellus* L. var. d. *carpathicum* ZAPALOWICZ Krytycz. Przegl. Rośl. Galicyi 2 : 226, 1908.

Habitu subspeciei nominatae valde similis. Caulibus robustis, 40—180 cm altis, in inflorescentia ramosis ($\pm 70\%$) vel cum racemo simplici ($\pm 30\%$). Foliis in relatione ad speciem *Aconitum callibotryon* REICHENB. majoribus, foliis caulinis mediocribus 10—13,2—18 cm diametro, laciniis segmentorum foliorum apicem versus attenuatis, $\pm$ acutiusculis usque acuminatis. Ramis



Mappa 1. Mappa (charta geographica) distributionis *Aconiti firmi* (REICHENB.) NEILR. subsp. *moravici* SKALICKÝ.

inflorescentiae, pedunculis, plerumque etiam floribus extus crispate pubescentibus, non glabrescentibus. (Pilis eglandulosis reclinatis, apice adpressis). Floribus magnis, plerumque 20—30—35 mm altis, extus pilosis, atroultarminis, opacis vel vix nitidis, galeis semper clausis, alte atque prorsus fornicatis (pronis), 20—24—30 mm altis, 15—18,6—20 mm latis, foliis nectarigeris apice obtusis usque capitatis cum petiolo plerumque (90 %) ciliato. Filamentis longe pilosis, rarissime glabris. Bracteolis foliaceis, ellipsoideis, integerrimis et ad pedunculos florum infimorum frequenter bi- (rarissime tri-) -lobatis usque bi- (tri-) -fidis, vel lanceolatis integerrimis, (2—) 3—8,3—17 mm longis. Carpellis (1—) 2—3 (—4); (carpellis 2: 40—50 %, carpellis 3: 50—60 %). Inflorescentiis (e racemis compositis) latis (floribus magnis, pedunculis longis atque patentibus vel erecte-patientibus).

Planta montana usque supramontana (—subalpestris), in gradibus inferioribus rarissime (omnino in turfosis vel in angustis umbrosis atque frigidis iuxta rivos).

Holotypus: PRC, herb. typorum no. 322: montes Moravsko-slezské Beskydy, opp. Frýdlant n. Ostravici: apud viam silvaticam in declivibus occidentalibus montis Smrk, 1025 m s. m., leg. R. Kurka 27. VII. 1943; rev. V. SKALICKÝ 1975.

Adnotatio: In angustis Manínska úžina et Kostolecká úžina prope opp. Povážska Bystrica mutatio cum pilis glandulosi in inflorescentia atque in pedunculis occurrit (planta a E. Götz ut *Aconitum paniculatum* LAM. subsp. *paniculatum* in scheda herbarii PRC errore designata).

Inter areas distributionis speciei *Aconitum callibotryon* REICHENB. et subspeciei *A. firmum* (REICHENB.) NEILR. subsp. *moravicum* SKALICKÝ a tempore glaciali ultimo (Würm) hiatus (± 75 km) est et plantae transitoriae absunt. Inter areas distributionis subspecierum *Aconiti firmi* zona transitoria inter montes Babia hora et Západne Tatry exstat, sed populationes harum subspecierum ± oecologie distinguuntur.

C. TYPIFICATIO ET EMENDATIO *ACONITI NAPELLI* L.

Lectotypus *Aconiti napelli* L. a cl. SELL errore electus est. Planta in LINNAEI Horto Cliffortiano „*Aconitum foliorum laciniis linearibus superne latioribus linea exaratis*“ denominata est et in Alpibus Ananiae et Rhaetiae crescere (in LINNAEI Species plantarum similiter: e Helvetia, Bavaria et Gallia provenit) debet. Planta a SELL ut lectotypus *Aconiti napelli* L. electa inscriptione „*Aconitum caeruleum sive Napellus* 1“ [BAUHIN Pinax p. 183, 1671] designata est; hoc specimen planta origine nativa anglica (= *Aconitum anglicum* STAFF) est. Lectotypificationem falsam propterea reicio.

In herbario Linneano (LINN) ut *A. napellus* L. planta hortensis, quam LINNAEUS in editione prima „Species plantarum“ sicut *A. napellus* L. appellat, sed in editione secunda huius operis sicut speciem novam distinguit et sicut *A. cammarum* L. denominavit. In herbario Linneano Musei Holmensis (S) una planta sub nomine *Aconitum napellus* L. sine ulla indicatione localitatis (planta culta?), sine nomine collectoris et sine dato exstat, quam fortasse cum *A. neomontano* WULF. (secundum editionem microphotographicam herbarii!) comparare possum. Haec planta verosimiliter postea quam editio prima libri „Species plantarum“ collecta est. STAFFLEU (1967)¹⁾ de herbario holmensi scripsit: „... the specimens of this herbarium can rarely be considered types...“. Specimina in herbariis questionem, quod typus *Aconiti napelli* L. sit, non respondent.

1) STAFFLEU F. A. (1967): Taxonomic literature. — Utrecht.

Propterea nobis omnes fontes litteraturae e synonymis Linneanis studendi sunt. Hoc loco deductiones solas publico. LINNAEUS in causa *Aconiti napelli* L. omnium primum e traditione veterum exit. Sunt solum species duae, quae protologo toto atque diagnosae correspondent: *Aconitum compactum* (REICHENB.) GÁYER (= *A. schleicheri* REICHENB., = *A. napellus* L. subsp. *vulgare* ROUY et FOUC.) et *A. neomontanum* WULF.

E diagnosa Linnaei *Aconitum compactum* diagnosae melius correspondere sequitur (laciniis linearibus superne latoribus linea exaratis): lacinae segmentorum foliorum speciei *A. compactum* distincte angustiores sunt, propterea melius diagnosae Linneanae correspondent.

Etiā REICHENBACH quaesivit conceptionem „*Aconiti napelli* veterum“; in hoc grege delimitato characteribus diagnosticis atque protologo Linnaei nobis typus eligendus est.

Sunt fontes tres *Aconiti napelli* L.: LOBELIUS, BAUHINUS et HALLERUS, ceteri sunt fontes secundarii:

a) LINNAEUS (in Speciebus plantarum ed. 2, sed etiam in Horto Cliffortiano) ut fons veterrimus (1576) — nomen „*Napellus*“ ferrens: *Napellus verus* LOBEL (cum iconē). LOBELIUS tempore studiorum monspessulanorum in Alpes gallicas, helveticas et italicas iter fecit et iconem pinxit [= verosimiliter *A. compactum*].

b) Localitates plures in LINNAEI Horto Cliffortiano et verosimiliter etiam (aliis verbis) in Speciebus plantarum a BAUHINO et CHERLERO (Univ. Plant. Hist. 3 : 655, 1651) susceptae sunt [= partim *A. compactum*, partim *A. neomontanum*].

c) Fons gravis tertius in LINNAEI Speciebus plantarum est: HALLER A.: Enumeratio methodica stirpium Helvetiae indigenarum 1 : 312, 1742. Verosimiliter ex opere Halleri LINNAEUS varietatem „*δ. siliquis quinque* CORD. p. 145, quae varietas in hortensibus frequens est“ [= *A. × cammarum* L. emend. FR.] in conceptionem sui *Aconiti napelli* L. Sp. Pl. ed. 1 suscepit. HALLER [Hist. Stirp. Indig. Helv. Inch. 2 : 90, 1768] postea *A. napellus* L. characteribus sequentibus distinguit: „*Aconitum* caule simplici, spica densa, petiolis unifloris casside breviter mucronata . . . In lapidosis et ad vias montium et subalpinorum [Helvetiae] perfrequens . . .“ [= *A. compactum*, vel *A. compactum* p. p. max. ?]

REICHENBACH ut *A. napellus* VETERUM distinguit: α. *schleicheri*, β. *compactum* [= *A. napellus* sensu HALLER], γ. *lobelianum*, δ. *bauhini*, quae protologo LINNAEI correspondent.

Aconitum compactum (REICHENB.) GÁYER (= *A. schleicheri* REICHENB.) est: REICHENBACHII *Aconiti napelli* VETERUM varietates α, β, γ (p. p.), δ (p. p.), verosimiliter *Napellus verus* LOBEL 1576, nomen BAUHINI et CHERLERI 1651 (p. p.), nomen HALLERI 1742 et *A. napellus* L. (sensu HALLERO) 1768 (excl. var.).

Aconitum neomontanum WULF. est: REICHENBACHII *Aconiti napelli* VETERUM varietates γ (p. p.) et δ (p. p.), nomen BAUHINI et CHERLERI 1651 (p. p.).

Postulato *Aconiti napelli* L. species *Aconitum compactum* (REICHENB.) GÁYER (= *A. schleicheri* REICHENB.) optime obsequitur. Propterea speciem *Aconitum compactum* (REICHENB.) GÁYER ut *Aconitum napellus* L. s. s. creō. Secundum Codicem § 53 (“When no type has been designated, a type must be chosen”) *Aconitum napellum* L. neotypifico et hoc loco emendo:

Aconitum napellus LINNAEUS Sp. Pl. ed. 1, 1 : 532, 1753 emend. hoc loco Syn.: *A. napellus* L. [var.] β. *compactum* REICHENBACH Ill. Aconit. [no. 10], tab. 2, fig. 1, 1823 [*A. compactum* REICHENB. Uebers. Aconit. p. 27, 1819 nom. nud.]; *A. compactum* (REICHENB.) GÁYER Magy. Bot. Lap. 8 : 153, 1909.

A. napellus L. [var.] *α. schleicheri* REICHENB. III. Aconit. [no. 9], tab. 1, 1823 vel *A. schleicheri* REICHENB. Uebers. Aconit. p. 35, 1819 [publ. valida, sed characteribus non distinctis].

A. napellus L. [var.] *γ. lobelianum* REICHENB. III. Aconit. [no. 11], descr. et protol. ad tab. 3, 1823 p. p.

A. napellus [var.] *δ. bauhini* REICHENB. III. Aconit. [no. 12], descr. et protol. ad tab. 4, 1823 p. p.

A. napellus L. sensu HALLER Hist. Stirp. Indig. Helv. Inch. 2 : 90, 1768 [excl. var. *β-ε*].

A. napellus L. subsp. *vulgare* ROUY et FOUCAUD Fl. Fr. 1 : 142, 1893.

Diagnosis: REICHENBACH III. Aconit. [no. 9 et 10] [ut *A. napellus* L. *α. schleicheri* REICHENB. et *β. compactum* REICHENB.], 1823.

Neotypus: PRC, herb. typorum no. 545 [ut *Aconitum Napellus* L. var. *angustisectum* ČELAK.]: Helvetia, Berner Alpen: Weg v. d. Kl. Scheidegg nach Grindelwald, leg. E. NEUBAUER 29. August 1895.

D. MISCELLANEA TAXONOMICA ET NOMENCLATORICA

1. *Aconitum callibotryon* REICHENB. var. *hians* (REICHENB.) SKALICKÝ, comb. nova hoc loco

Basionym: *A. hians* REICHENB. Monogr. Aconit. tab. 18, fig. 1, 1821.

Populationes huius varietatis plerumque in habitationibus subalpestribus crescunt, sed pluribus transitibus cum populationibus varietatis nominatae multo frequentioris conjunctae sunt.

2. *Aconitum variegatum* L. var. *variegatum*

Galea humilior, aperta. Plantae graduum inferiorum (i.e. planaris usque montanus); oecomorphae umbrosae praevaletentes. Disperse in tota Českoslovakia.

Adnotatio: Localitas typi *A. variegati* L. Bohemia est.

3. *Aconitum variegatum* L. var. *gracile* (REICHENB.) OBORNY Verh. Naturforsch. Ver. Brünn 24 (1885), Abh., fasc. 2 [= Fl. Mähren...]: 1247 et Reg. p. (1), 1886.

Galea elata, angusta, $\pm$ clausa. Plantae habitationum subumbrosarum et apricarum plerumque graduum submontanorum usque subalpestrium; plerumque in re publica social. bohemia — ČSR.

4. *Aconitum variegatum* L. var. *macranthum* (REICHENB.) OBORNY l. c. Galea mediocriter alta, lata, $\pm$ clausa. Plantae plerumque carpaticeae (gradus subalpestris).

5. *Aconitum variegatum* L. var. *rostratum* (BERNH. ex DC.) SKALICKÝ, comb. nova hoc loco

Basionym: *Aconitum rostratum* BERNHARDI ex DECANDOLLE Regni Veget. Syst. Natur. 1 : 376, 1817.

Galea elata, conspicue prona, $\pm$ clausa. Lectotypus in herbario Candolleano atque icon Reichenbachiana bene correspondent. In Českoslovakia plerumque in montibus carpaticeis a gradu submontano usque ad gradum subalpestem.

6. *Aconitum variegatum* L. f. *kotulae* (PAWL.) SKALICKÝ, comb. nova hoc loco

Basionym: *A. variegatum* L. subsp. *kotulae* PAWŁOWSKI Flora Tatr 1 : 275, 1956.

Mutatio polytopica in montibus carpaticis in populationibus mixtis (semper una cum plantis eglandulosis!) et in montibus corconticis (Krkonosé) lecta.

E. CLAVIS ANALYTICA SPECIERUM ET SUBSPECIERUM
ČECHOSLOVACARUM GENERIS *ACONITUM* L.

- 1a) Perigonium luteum persistens; petiolus foliorum nectarigerorum sub apice capitato curvatus cum denticulo geniculato; folia palmatisecta cum segmentis $2 \times$ pinnatisectis, cum laciniis linearibus (1—2 mm latis); semina triangulariter pyramidata, non alata, rhizoma cum radicibus napiformiter incrassatis *A. anthora* L.
- b) Perigonium deciduum; petiolus foliorum nectarigerorum sine denticulo geniculato; foliorum segmenta saltem in aliqua parte quam 3 mm latiora; semina saltem in aciei unica alata vel lamellis transversalibus alatis praedita 2
- 2a) Rhizoma cum radicibus non incrassatis; folia palmatipartita cum segmentis latis, pinnatilobatis usque pinnatifidis, subtus $\pm$ pilosis usque glabratibus (in margine et in nervatura subtus semper pilosis); perigonium pallide luteum vel violaceum; galea alta, conice cylindrica, $\pm 3 \times$ altior quam diametrum in geleae parte dimidia; folia nectarigera apice $\pm$ circinata 3
- b) Rhizoma cum radicibus napiformibus vel tuberiformibus; folia palmatisecta cum segmentis pinnatifidis usque -sectis vel composita, glabra; perigonium ultramarinum usque atrocaeruleum, exceptionis causa albidum; galea hemisphaerica usque conica, maxime $2\frac{1}{2} \times$ diametro altior; folia nectarigera apice non distincte vel distincte capitata usque reclinata 4
- 3a) Perigonium violaceum; caulis $\pm$ rectus, frequenter purpurascens; folia plerumque glabrescentia (sed in margine et in nervatura subtus pilosa), acute et grosse serrata (folia plantarum e montibus Nizké Poloniny et Vihorlat saepe obtuse grosse serrata) *A. moldavicum* HACC.
- b) Perigonium pallide luteum; caulis $\pm$ laxior, $\pm$ ascendens; folia plerumque saltem subtus in lamine $\pm$ pilosa, plerumque obtuse grosse serrata *A. lycoctonum* L. emend. KOELLE
- 4a) Rhizoma cum radicibus napiformibus; folia pergamenea usque coriacea, rarissime tenuiora, subtus inuncta, nervi plerumque non anastomosantes; caules firmi et recti (etiam in inflorescentia); rami laterales breves et plerumque erecti (etiam pedunculi erecti), in inflorescentia saepe adpresse pilosi; galea hemisphaerica (altitudo latitudinem $\pm$ aequans) rostro brevi praedita (plantae hybridae cum galea altiore); folia nectarigera cum petiolo curvato nonnumquam ciliato, apice $\pm$ capitata retrorsum subcurvata (plantarum hybridarum apice reclinata); filamenta pilosa vel glabra; carpella 2—3 (plantae hybridae: 3—5); semina levigata usque transverse rugosa (follicula plantarum hybridarum sine seminibus) 5
- b) Rhizoma cum radicibus tuberiformibus; folia $\pm$ tenua et plerumque opaca; nervi laterales anastomosantes; caules saepe in parte tertia superiore tenues et flexuosi, rami laterales saepe elongati et flexuosi, arrecti vel patentissimi, in inflorescentia semper glabri vel patentissimi glandulose pilosi, pedunculi glabri vel glandulosi, saepe elongati, arrecti

- usque divaricati; galea saepe rostro longo praedita, subglobosa usque conica, fornicata, folia nectarigera cum petiolis rectis vel paululum curvatis glabris, apice capitata et recurva vel non capitata atque reclinata; filamenta glabra vel cum pilis patentissimis paucis; carpella 3—5, aut glabra et in sutura ventrali ciliata, aut tota glabra vel tota pubescentia; semina 4—6 lamellis transversalibus alatis praedita 8
- 5a) Galea altius fornicata; folia nectarigera distincte reclinata, glabra; filamenta $\pm$ dense patentissime pilosa; carpella 3—5; follicula sterilia; pedunculi glabri, solum florum basi cum pilis paucis patentissimis. Plantae cultuae (saepe in cultivarietatibus versicoloribus) et nonnumquam inquilinae *A. $\times$ cammarum* L. emend. FR.
- b) Galea demisse vel alte fornicata; folia nectarigera apice obtusa vel capitata, sed non reclinata, cum petiolo glabro vel ciliato; filamenta glabra vel pilosa; carpella 2—3; semina formantur; pedunculi aut $\pm$ adpresse pilosi, pili eglandulosi curvati (exceptio: mutatio cum pilis glandulosis patentissimis) aut glabri. Plantae indigenae gradus montani usque alpestris 6
- 6a) Plantae plerumque humiliores cum caulibus simplicibus, in inflorescentia (etiam in pedunculis) fere semper adpresse pilosae, plantae elatiores ramosae cum racemo principali simplici conspicue elongato; racemus longus, angustus, laxiflorus; flores $\pm$ parvi, 10—20 (—30) mm longi; folia caulina inferiora $\pm$ parva, (2—) 4—10 (—14) cm diam., circumscriptione $\pm$ subrotunda, cum nervatura aperta (nervi laterales raro anastomosantes), laciniae segmentorum lineares ($\pm$ 3—5 mm diam.), apice obtuse acutae usque apiculatae; bracteolae parvae, lineares, 1—2 (—3) mm longae; galea humilis, hemisphaerica, clausa (vel angusta cum margine inferiore sinuata et propterea hians [cum correlatione foliorum nectarigerorum apice obtusorum vel inconspicue capitatorum] — var. *hians*); petioli foliorum nectarigerorum ciliati; filamenta dense pilosa; carpella 2—3 (2: $\pm$ 70%; 3: $\pm$ 30%) *A. callibotryon* REICHENB.
- b) Plantae plerumque altiores cum caulibus plerumque ramosis, etiam in inflorescentia glabrae vel contrarie adpresse pilosae, solum plantae gradus alpestris in agellis nivium diu persistentium humiles non ramosae cum racemo abbreviato; racemus $\pm$ latus (praecipue flores inferiores conspicue longepedunculati), densiflorus; flores magni, (15—) 18—25 (—35) mm longi, in racemi parte inferiore saepe cum bracteis pluribus foliis similibus; folia caulina inferiora $\pm$ majora, (4—) 6—15 (—22) cm diam., circumscriptione polygonalia, cum nervatura anastomosante (conjuncta), cum segmentis latis (etiam plusquam 2 cm diam.), laciniae segmentorum breviores (usque 1 cm longae) plerumque angustissime triangulares, vel longiores ($\pm$ 5 mm latae) apice acutissimae; bracteolae magnae, saltem in pedunculis florum inferiorum bilobatae usque bi-vel multipartitae, foliis reductis similes vel ovatae integerrimae, raro lineares, (2—) 2,5—15 mm longae; galea conspicue magna, alte fornicata, $\pm$ prona, semper clausa; petioli foliorum nectarigerorum glabri vel sparsissime ciliati; filamenta glabra vel sparse pilosa; carpella 2—3 (—5), semper frequenter 3 *A. firmum* (REICHENB.) NEILL. ... 7
- 7a) Caulis semper altus, in parte superiore, in inflorescentia et in pedunculis cum pilis eglandulosis reclinatis, apice adpressis; tepala extus pilosa

- usque sericea; galeae semper conspicue pronae; petioli foliorum nectarigerorum sparse ciliati vel glabri; filamenta fere semper pilosa; carpella 2—3 (2: 40—50%; 3: 50—60%). subsp. *moravicum* SKALICKÝ
- b) Caulis plerumque altus, ramosus, raro humilis et simplex, glaber, pedunculi glabri; tepala extus glabra; filamenta glabra; carpella plerumque 3 subsp. *firmum*
- 8a) Caulis in inflorescentia et pedunculi patentissime glandulosi; segmenta foliorum angusta atque laciniae acutissimae; inflorescentia racemus, raro paniculus; bracteolae lineares; galeae hemisphaericae vel alte fornicatae, nec autem conicae nec saccate cylindricae, $Q = \text{altitudo} : \text{latitudo} = 0,6$ usque 1,5; folia nectarigera ad galeae partem supremam attingentia, eorum petioli paulum curvati; carpella (et postea follicula) 3, aut glabra aut dense adpresse pilosa 9
- b) Caulis in inflorescentia et pedunculi glaberrimi (exceptio: mutatio cum pilis glandulosis patentissimis); segmenta foliorum latiora cum lobis usque laciniis apice obtusis vel acutis; inflorescentia racemus; bracteolae anguste lanceolatae obovatae; galeae alte fornicatae, plerumque conicae vel saccate cylindricae, clausae vel contractae, Q (altitudo : latitudo) = 1—2,5; folia nectarigera ad galeae partem supremam $\pm$ non attingentia, eorum petioli $\pm$ recti; carpella (postea follicula) 3—5, glabra, sed semper in sutura ventrali dense adpresse ciliata . . . *A. variegatum* L.
- 9a) Folia palmatisecta; galea humilis, Q (altitudo : latitudo) = 0,6—1; carpella tota glaberrima (planta in Bohemia advena) *A. paniculatum* LAM. (excl. *A. valesiacum* GÁYER)
- b) Folia composita: palmata vel pedata, quinquefoliata, foliola petiolulata; galea altior, $Q = 0,7—1,5$; carpella dense adpresse pilosa, rarissime glabra *A. lasiocarpum* (REICHENB.) GÁYER

SOUHRN

Ze zpracování rodu *Aconitum* L. pro Květenu ČSR a z dosud nepublikovaného rukopisu o československých druzích rodu *Aconitum* pro sborník z konference Československé botanické společnosti o kritických taxonech vyplynulo více taxonomických a nomenklatorických závěrů, které otiskujeme zde místo ohlášeného uveřejnění v *Novitates botanicae*.

Po vysvětlení náplně použitých taxonů následuje latinská diagnosa *Aconitum firmum* (REICHENB.) NEILR. subsp. *moravicum* SKALICKÝ subsp. n., analýza Linnéova pojetí *Aconitum napellus* L. a z toho plynoucí typifikace a emendace druhu, vnitrodruhové členění druhů *A. callibotryon* REICHENB. a *A. variegatum* L. s novými kombinacemi a konečně klíč k určení československých druhů a poddruhů rodu.

Acceptum 18. Novembris 1980